

COXXXVIII.

Anno 1721. die 17. Maji. Viennae

Carolus III. Rex angustiis aerarii pressus, ordinat, ut Croatiae Status unam alteramve legionem aestivis mensibus sustentent, aut 50.000 flor. hoc nomine solvant, speratque Status Croatiae hanc ejusdem ordinationem suo assensu probaturos esse.

CAROLUS DIVINA Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregij et Nobiles, fideles Nobis dilecti. Aliunde palam est omnibus, post bella tam diuturna, eaque gravissima, confecta, aerarium Nostrum Caesareo-Regium tanta mole premi, ut oneri ulterius ferendo, nisi omnibus haereditarijs Regnis et Provincijs Nostris in concursum aequa lance attractis impar plane et insufficiens, absque milite tamen conservato et debite soluto publicae Securitati et communi omnium bono ac quieti prospectum satis non sit; ut adeo his motivis permoti, licet more maiorum Nostrorum, quoad per publicas rationes fieri valet, charissimum Nostrum haereditarium Croatiae Regnum singulari semper benevolentia complectamur, ad extremum aliter facere non potuerimus, quin in id currenti hoc anno partem quoque oneris, etsi minimam, derivaremus, id est unam alteramve legionem a prima huius mensis Maji, qua illis huc movendum erat, in aestivis mensibus, secundum regulamenti in Hungaria pro hyeme publicati tenorem et normam, sustentandam ibidem et dislocandam constitueremus, vel eius loco in parato aere quinquaginta mille florenos, sicut id electioni vestrae clementer relinquimus, alternative prompteque expectaremus. Ut vero ipsum hoc onus ulteriori lenimento temperatum vobis Statibus totique Regno levius accidat, benigne pariter indulgemus, ut uterque Generalatus Varasiniensis et Carlostadiensis, Cameralia item bona nostra intra Regni limites sita, vel dum praefatae legiones in Croatiam dirigendae et ibidem collocandae, vel dum ejus loco aes paratum praestari voluerit, aequa proportionem habita in oneris partem veniant. Quare de commonstrata vestra peculiari illibataque semper fide ac publici boni promovendi studio clementer confidimus, Vos desuper prompte seduloque deliberaturos, eamque positivam et congruam declarationem, uti nostra de Vobis spes atque inseparabilis a vestra incolumitate Servitij Nostri Caesareo Regij ac publici boni rationes aperte manifesteque postulant, eo magis sine haesitatione daturus fore, cum per inte-